

# De irregularitate. Cap. XXVII.

506

pulo, aut etiam cum eo, vbi est talis consuetudo, secundum Archiep. Floren. ter-  
33 tia parte, titu. 28. cap. primo, vt † refert  
Nuar. de fratribus mendicantibus non  
subdiaconis, qui cantant epistolam cum  
dalmatica, & manipulo, nam tunc non  
esset irregularis. Quinimmo nec irregularitatem incurreret in foro conscientię,  
quando nondum subdiaconus cantaret  
epistolam cum manipulo, etiam si talis  
consuetudo non esset: dummodo cantaret,  
nolens id facere, ut subdiaconus,  
quamvis secus esset in foro fori. präsum  
ptio enim esset id fecisse, ut subdiaconū,  
& propterea petere deberet absolutio-  
nem, Nuar. qui supra.

34 Colligitur ergo, † tunc aliquem effi-  
ci irregularēm, quando solemniter mi-  
nistret exercendo aliquod deputatum  
certo ordini tanquam in officio illo con-  
stitutus, puta legendō Euangelium, ut  
diaconus, vel epistolam, ut subdiaconus,  
Sylvestr. in ver. irregularitas, quæstione  
duodecima. Requiritur etiam ad incur-  
rendam irregularitatem, ut talem ordi-  
nem non habeat quod substantiam, se-  
cus si in ordinatione dimissum esset al-  
iquid, quod certum est non esse de sub-  
stantia, quia si ministret, antequam sup-  
pleatur omisssum, non erit irregularis,  
quia nullo iure hoc exprimitur, licet pec-  
cer mortaliter, Syl. qui supra, versicu.  
quinto.

Vndeclimus, irregularis efficitur, si sus-  
pensus, excommunicatus, vel interdi-  
ctus ingerat se diuinis officiis celebran-  
do, vel administrando in aliquo ordine,  
saltē minore solemniter, vt diximus  
supra, & not. in cap. fin. de excels. prælat.  
Quod idem intellige de prælato excom-  
municato impellente aliquem ad cele-  
brandum, glo. in clem. secunda, ver. cele-  
brari, de priuilegiis. [vel secundum ali-  
quos de clero ministrante sacerdoti ex-  
communicato scienter celebrante, argu.  
extra de apost. capitu. secundo, Archidia-  
conus in capit. si quis, vndeclima quæ-  
stione tertia.

35 Sed an † incurrit irregularitatem cle-

ricus peregrinus veniens de remotis, qui  
mandatur teneri in suspenso, si publicè  
celebrat? Dic quod non, ita Innocent.  
quem sequitur Dominus Antonius, in  
capitu. primo, de cleric. peregr. nume.  
quarto. & ratio est, quia non est suspen-  
sus, sed tenetur in suspenso, ut exami-  
netur eius vita, & mores. & quamvis  
interim ab eius officio abstinere debet,  
& sic suspensa est plebs audire eius offi-  
cium, tamen publicè celebrando non fit  
irregularis: quia Episcopus in eo dispen-  
sat, vt in capit. fin. eodem titu. quod si  
est irregularis, solus Papa dispensaret,  
de re iudica. capitu. primo, libro sexto,  
vndeclima, quæstione tertia, si quis Epi-  
scopus.

36 Et idem † dicit de suspenso in publi-  
co crimine, qui licet celebrare non de-  
beat, si tamen celebrat, non est irregu-  
laris. quod intellige de eo, qui est no-  
toriè delinquens quo ad se, & non quo  
ad alios, vt est quilibet notoriè delin-  
quens, nam propter notoriā suspensio-  
nem celebrare non potest, à subditis  
tamen vitari non debet, si celebrat,  
quamvis grauissimè peccet, non tamen  
est irregularis, quod secus esset, quan-  
do esset quis suspensus quo ad se, &  
quo ad alios, quia celebrando esset irregu-  
laris, Innocen. & Anton. in cap. 1. de  
cler. peregr.]

Sic etiam clericus irregularis esset ce-  
lebrando in loco interdicto, non au-  
tem polluto, capitu. is qui, de sentent.  
excommunic. lib. sexto, à solo Papa dis-  
pensandus.

37 Sed quid si † celebraret in altari inter-  
dicto? dic quod est irregularis, quia alta-  
re est locus, immo locus, vbi celebratur,  
arg. tex. in d.c. is qui.

38 Duodecimus, † bigamia pariter indu-  
cit irregularitatem, capitu. debitum, cum  
glo. in ver. sacramentum, de biga. Biga-  
mia vero, quod est nomen Graecum, tri-  
plex dicitur, vera, similitudinaria, & in-  
terpretativa, iuxta glo. in d. capitu. debitum,  
Rota decif. 447. in nouis, & decla-  
rauit Speculator de dispens. iusta, nu. 6.